Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

trans iordanem ubi erat iohannes baptizans.

sibi inuidie praedicatam ta reddit dicens. uite. Unde sequitur. Respondit eis dicens. Ego baptizo in aqua. Orig. Ad illud enim quod quaesitum est, quid ergo baptizas, quod aliud afferri dicebatur, nisi proprium baptisma carnale praetendere. Greg. Iohannes enim non spiritu sed aqua baptizat, quia peccata solvere non valebat. baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen animas per veniam non lavat. Cur ergo baptizat qui peccata per baptismum non relaxat, nisi ut praecursionis suae ordinem servans, qui nasciturum nascendo praevenerat, baptizaturum quoque dominum baptizando praeveniret; et qui praedicando factus est praecursor christi, baptizando et praecursor eius fieret imitatione sacramenti. Qui inter haec misterium redemptionis nostrae annuntians, hunc in medio hominum stetisse asserit et nesciri. Sequitur enim. Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. quia per carnem dominus apparens et visibilis extitit corpore, et invisibilis maiestate. Crisostomus. Hoc autem dixit, quoniam decens erat christum commixtum esse populo, ut unum multorum, se ubique humilem esse docentem. Cum autem dixit: Quem vos nescitis, scientiam hic cognitionem certissimam dicit, puta quis est et unde. Aug. Humilis enim non videbatur, et propterea lucerna accensa est. Theophilactus. Vel medius erat phariseorum dominus, sed ignorabant eum, quia ipsi scripturas se scire putabant. et in quantum inter eos praedicabat dominus, medius eorum erat, scilicet in cordibus eorum. Sed nesciebant eum, eo quod scripturas se scire putantes non intelligebant. Vel aliter. Medius quidem erat, in quantum mediator dei existens et hominum. vel ipse medius phariseorum extitit, volens nos ad adiu-

gere. Sed ipsi nesciebant eum. Orig. Vel aliter. Hoc edito, Ego baptizo in aqua, ad illud: Quid ergo baptizas, ad quod: Si tu non es christus, praeconium de praecedente et sua proponit, quod tanta sit ei virtus, quod invisibilis sit sua deitate, cum sit praesens cuilibet, et totum per orbem diffusus; quod notatur ex illo: Medius vestrum stetit. Hic enim per totam orbis machinam effluxit, sic ut quae creantur per ipsum crearentur. omnia enim per ipsum facta sunt. Unde palam est quod in quaerentibus a Iohanne: Quid ergo baptizas, ipse medius erat. Vel quod dicitur: In medio vestrum stetit, intelligendum est de nobis hominibus. Cum enim simus rationales, in medio nostrum extitit, ex eo quod principale, scilicet cor, in medio totius corporis institutum est. Qui ergo verbum in medio gerunt, non quia cognoscant de ipsius natura, nec de quo fonte manavit, nec quomodo consistit in eis, hi verbum in medio sui optinentes ignorant; quod tamen Iohannes agnovit. Unde exprobrando dicit ad phariseos: Quem vos nescitis. quia expectantes pharisei christi adventum, nichil tam eximium de eo contemplabantur, iiii p.
solum hominem sanctum existimantes eum esse. Stat autem, stetit. Nam stat pater invariabilis existens et immutabilis. stat quoque verbum eius ad salvandum continuo, quamvis carnem suscipiat, quamvis medium hominum stet invisibile. Ne vero putet aliquis alium esse invisibilem ad omnes homines venientem, vel ad universum orbem, ab eo qui humanatus est et in terra comparuit, subdit: Qui post me venit, hoc est, Qui post me appariturus est. Non autem idem denotatur hic per hanc dictionem post, et cum ipse nos post se invitat. Illic enim sequi post ipsum praecipitur nobis, ut eius indagando vestigia perveniamus ad patrem. Hic autem ut pateat quid sequatur ex Iohannis dogmatibus. Venit enim ut cuncti credant per eum, praeparati per minorem ad perfectum verbum. Dicit ergo: Ipse est qui post